



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

7. Innocentia custodienda ab omnibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

dat eam Deus non amanti eam, sed quærenti ipsam cum magno desiderio ipsius. Inquire pacem & persequere eam. Quidam pacem oblatam recipere: sed eam primo non quærunt. Hi non videntur intelligere, pacem, hæreditatem esse Christianorum. Si enim scirent se exhæredatos ab eo quod Christus eis legauit, non expectarent quòd alius eos incitaret ad hæreditatem suam recuperandam. Pacem sequimini cum omnibus. Pax est, vbi repugnantia non est. Vnde glossa super illud. Beati pacifici. Vera pax est, vbi nihil repugnat. Octauum est linguæ custodia. Sicut, vbi domus sunt de lignis, palea tectæ, ignis cautè seruator, ne domus succendantur: sic lingua cautè custodienda est in congregatione. Lingua enim ignis est, vniuersitas iniquitatis. Aliquando per eam flamma iræ in congregatione accenditur. In eodem. Ecce quantus ignis quàm magnam syluam incendit. Nisi lingua custodiatur, multæ turbationes in congregatione oriuntur. Susurro & bilinguis maledictus erit. Multos enim turbauit pacem habètes. Lingua tertia multos commouit.

Hebr. 12.

Glossa ord. ibid.

Matth. 5.

Iacob. 3.

Eccl. 28.

Quod innocentia custodienda sit ab omnibus.

CAPVT VII.

SEquitur de innocentia. Circa quam primo ostenditur, quòd custodienda sit ab omnibus. Secundo quod maxime ab his, qui sunt in congregatione religiosa. Tertio tangetur de partibus innocentia. Quarto de nocumentis quæ in religione mali inferunt bonis. Ad primum monet Spiritus sanctus in psal. Custodi, inquit, innocentiam.

tiam.

tiam. Glossa. Ne extorqueatur à te. Seneca. Ricculum est odio nocentis innocentiam perdere. Isidorus. Duo sunt erga dilectionem proximi seruanda: vt beneficij impensione foueatur, & nulla malitia lædatur. Triplici ratione conari debemus ad custodiam innocentia. Primo quia facile amittitur. Secundo quia ea amissa omnia amittuntur. Tertio quia ea seruata omnia seruantur. Facile amittitur, quia facto, & verbo, & voluntate, & omisione. Facto dupliciter, & cum bona aliena auferuntur: & cum mala alij inferuntur. Augustinus. Omnis homo qui alium in corpore persequitur: prius ipse in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Idem. Nemo habet iniustum lucrum, sine iusto damno. Vbi damnum, ibi lucrum. Lucrum in arca: damnum in conscientia. Tulit vestem, & perdidit fidem. Acquirit pecuniam, & perdit iustitiam, scilicet quantum ad illam partem iustitia que est innocentia. Item Augustinus. Malitia tua vt alteri non noceat, fieri potest: quod autem tibi non noceat, fieri non potest. Verbo amittitur innocentia: vt cum aliquis in malum proximi mentitur. Augustinus. Fraudator prius & peius læditur damno innocentia, quam proximus damno pecunia. In Psal. Lacum aperuit & effudit eum: & incidit in foueam quam fecit. Voluntate etiam innocentia amittitur: vt cum aliquis odit proximum suum. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Qui verò homicida est: innocens non est. Omisione, innocentia amittitur: vt cum aliquis non subuenit fame periculi, secundum illud Ambrosij. Pasce famelicos.

1. Ioan. 3.

morientem: si non pauisti, occidisti. Si innocen-
 tia amittitur: omnia bona amittuntur. Amitti-
 tur iustitia funditus cum innocentia amittitur:
 quæ est iustitiæ fundamentum. Tullius. Fun-
 damentum iustitiæ est ne cui noceas: deinde ut
 communi vtilitati deseruias. Amittitur etiam i-
 pse Deus iustitiæ dator. Iniquitates vestræ diui- *Isa. 59.*
 serunt inter vos & Deum vestrum. Si innocen-
 tia seruetur, cuncta bona seruantur. Dum Adam
 innocentiam seruaret, nihil ei nocuit. Nihil
 etiam nocet hodie illis qui innocentiam ser-
 uant. Qui custodit præceptum, non experietur
 quicquam mali. Augustinus. Quid times homi-
 nem ô homo, in sinu Dei positus? Tu de sinu il-
 lius noli cadere: quicquid patieris, ad salutem
 valebit, non ad perniciem. Omnes capilli capi- *Matth. 10.*
 tis vestri numerati sunt. Quæ videntur noxia,
 innocenti sunt vtilia. Scimus quoniam diligen- *Rom. 8.*
 tibus Deum, omnia cooperantur in bonum. In-
 nocentia armatura Dei est, quam si habueris, tu
 cum tuis in saluo eris. Saluabitur innocens. E- *Iob. 22.*
 iusdem 4. Quis vnquam innocens periit? Item
 innocentia vestis est, sine qua nullus intrat in
 cælum. Psalm. Quis ascendet in montem Do-
 mini, aut quis stabit in loco sancto eius, Inno-
 cens manibus, &c. Hanc vestem necesse habe-
 mus ferre ante iudicem, ideo latro infernalis
 conatur nos ea spoliare. Hac veste spoliatus est
 descendens ab Hierusalem in Hierico,
 qui incidit in latrones.

Lucæ 10.

R

Quod